



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 93. Estensis Ferrariensis Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.
A. C. 1586.

§. XCIII.

*Estensis Ferrariensis Cardinalis de-
cessus.*

Ciac. t. 3.

p. 930.

Papyr. Mass.

in elog.

Ughel. Ital

sacra.

Aubery l. c.

Thu. l. 84.

Quintus erat Aloysius Estensis Ferrariensis Aretii natus, cujus Parentes fuerunt Hercules II. Ferrariæ Dux, & Renata Ludovici XIII. Galliarum Regis Filia: porro Aloysius a Paulo III. Ferrariensis Episcopatus Coadjutor decimo ætatis suæ anno nominatus, postea in Gallias contendit, ubi Henrici II. Regis benevolentiam tam dextere sibi conciliabat, ut ab eodem pinquibus beneficiis, ac præprimis Auxitana Ecclesia, cedente Hyppolito Estensi Patruo suo, augetetur. Postmodum a Pio IV. Cardinalis Diaconus titi Sanctorum Nerei, & Achillæi licet absens renuntiatus fuit, & quarto post anno Maximiliani Cæsaris sororem Alphonso Fratri suo nuptam Tridenti accepit, eamque Ferrariam usque comitatus est: insuper Franciæ res in Aula Romana procurabat, sacræque Sedis jura sub Carolo IX., & Henrico II. cum Gallici Regni prærogativis tam feliciter conciliabat, ut bis a Gregorio XIII. Legatus in Franciam decerneretur: Cisterciensem quoque, & Canonorum sæcularium sancti Georgii in Alga Ordines suo patrocínio foverat, simulque

simulque Blesensibus præerat Cleri comitiis, ubi semper illorum, qui innocenter opprimebantur, causas defendebat, & pauperes singulari cura juvabat, cum vero Henricus Ordinem equestrem sancti Spiritus institueret, Ferrariensis Cardinalis Commendator nominabatur: denique Romæ in suo Palatio die trigesima Decembris anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo sexto naturæ debitum solvit, suoque testamento cavit, ut illius cor in Franciam delatum in Auxitana Ecclesia deponeretur, ejus vero intestina in sancti Ludovici Nationis Gallicæ Templo terræ mandarentur: ceterum Corpus illius in Ecclesia sancti Francisci Tiburtinæ civitatis prope Hypopoliti Patruis sui tumulum reconditum est. Porro hujus Viri merita Guilielmus Blancus Venciensis Episcopus latino carmine deprædicabat.

§. XCIV.

Antonii Augustini obitus.

Hoc anno ex Scriptoribus Ecclesiasticis vita functis primo loco recensendus venit Antonius Augustinus Cæsar-Augustæ in Arragonia natus, qui evasit Vir, quo magis eruditum Hispania non protulit. Is Patrem habuit ejusdem Regni Vice-Cancellarium,

Sæcul. XVI.
A.C. 1586.

Poffev. in appar.
Dupin. Bibl. des Auth. Sæc. XII. p. 4. fol. 465.
Nicol. Anton. in Bibl. Hisp. Teiff. elog.